



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 5. Cardinalis Lotharingus apud Gualterium de Papa conquestus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

*Prædicatorum, Episcopus Cavensis in il-* Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.  
*los Synodi Patres, qui residentiam esse*  
*juris Divini contendebant, insurgens vo-*  
*luit decretum sub Paulo III. in Concilio*  
*conditum esse observandum, dixitque non*  
*esse ex Synodi dignitate, ut iterum de*  
*residentia agatur; quod etiam gratiæ con-*  
*cessæ residentibus per Constitutionem Pii IV.*  
*nuper editam, essent hic insertæ.*

§. V.

*Cardinalis Lotharingius apud Gual-*  
*terium de Papa conquestus.*

**I**nterea Hispani nil intentatum relin- Pallav. c. 2.  
num. 4.  
 quebant, ut ad sua consilia Lotha-  
 ringium Cardinalem pertraherent, prout  
 ipsemet quoque Gualterio narrabat,  
 subjungens, quod Pibracus Orator a  
 Gallica aula reversus nova secum de-  
 tulisset mandata, quæ certe summo  
 Pontifici molestiam crearent; Galli e-  
 nim indignantur conditiones, sub qui-  
 bus Papa per Nichettum Abbatem cen-  
 tum aureorum millia in Franciæ sub-  
 sidium Regi submiserat (\*) nihilomi-  
 nus

Rr 4

(\*) Olim Papa indignationem incurabat,  
 quia Annatarum subsidia exigebat, quæ tamen  
 remisit, nunc vero molestatur, quia centum  
 aureorum millia in subsidium subministrat. Quid  
 denique Pontifex agat, & quid potuit facere,  
 quod non fecit?

Vermis

Sæcul XVI.  
A. C. 1562.

nus Lotharingus pollicebatur, quod Oratorem detinere, atque hæc postulata præpedire vellet: verum suspicatus fuit, quod Cardinalis suæ potentæ præstium, suæque operæ meritum extollere voluerit, cum ex altera parte Gualterius haud obscure intelligeret, quod haud amplius tanquam Gallorum Præfulum arbiter agnosceretur, prout id factè aperte eluxisset in conventibus circa Episcoporum præsentiam habitis: quapropter Gualterius Viterbientis Episcopus de querelis adversus Pontificem, ob conditiones subsidio appositas, non destitit Lotharingio declarare, inter hæc duo opponi, quod Rex opem petat eo brachio, ex quo eodem tempore sanguinem extrahit, omnesque vires illi adimit, dum aufert ab Apostolica Sede antiquissimam variorum provinciarum exactiorem e Galliarum Sacerdotibus eidem competentem: verum Gualterius hac ratione non placabat Cardinalem, quem indies magis exacerbatum offerebat aut novis literis Roma missis aut novis Tridenti narrationibus, quibus percepit suspiciones, quas contra eum conceperat partim Legatus Simonetta, partim duo alii Episcopi, Castanea, & Boncompagnus, hinc in istos maximam sane indignationem Lotharingus fovebat.